

Heinrich Rudolph Redecker

**Rector Universitatis Rostochiensis Heinricus Rudolphus Redeker/ I.U.D. ... Ad
exequias, quae Viro ... Bernhardo Soltowen/ I.U.D. ... Ducum Holsatiae quondam
Consiliario & Capituli Slesvicensis Syndico. Hodie ... Omnes literariae reip. cives
amanter invitat**

Rostochii: Kilius, 1667

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn774757795>

Druck Freier  Zugang



Redeke^r, H. R.,

i n

B. S o l t o w.

Rostock, 1667.

157

RECTOR 20.
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
HEINRICUS RU-
DOLPHUS Redeker/

J.U.D... Sereniss. Ducis Mechl. Consil.
& Consistorii Ducalis Assessor.

Ad exequias,

Viro Nobilissimo & Consultissimo

DN. BERNHARDO

Goltowen/

J.U.D. Serenissimorum DNN.

Ducum Holsatiæ quondam Consili-
ario & Capituli Slesvicensis

Syndico.

Hodiè in templo Cathedrali parabuntur

Omnes literariæ reip. cives
amanter invitat.



ROSTOCHII,

Tipis JOHANOIS KILII, Acad. Typog. Anno 1667.



Salutem!

Nter calida Regis & Prophetæ Davi-
dis suspiria , quibus omnipotentis
gratiam in se collatam extollit , &
uberiorem ejus clementiam impla-
rat , haud ultimum obtinet locum ,
quando plenus timore exclamat : Ne
avoces me in dimidio dierum meorum .
Quibus Vir Dei expresse satetur , ter-
minum vitæ humanæ , qui inter alios
brevissimo dierum numero absolvii-
tur , aliis autem ad seram senectam prolongatur , non à Stoicâ
aliquâ necessitate , aut fatali & absoluto decreto dependere ,
sed in manu & providentia Domini , cui vitæ & mortis arbitri-
um competit , esse . Humanæ enim vitæ brevior aut prolixior
usura , non ex inevitabili aliquâ lege , cuius decretoria quædam
hora sit , petenda venit , sed in promissionibus & comminatio-
nibus divinis fundata est , uti ex perspicuo verbo Dei passim &
quidem evidentissimis probatur locis . Timore siquidē Domi-
ni , inquit sapientissimus , multiplicabuntur dies tui , & addentur
tibi anni vitæ : Impiorum autem anni abreviabuntur . Decre-
torios esse vitæ humanæ dies , certosque annos , in aperto est ,
interim ille numerus non ex fatali & superstitiosa necessitate
suam habet determinationem , sed ex mera providentia divina ,
qua-

quæ cuncta gubernat, fluit. Omnibus hominibus, verissimum illud: *Memento mori*, commune quidem est, neque ullus humana ope aut consilio spicula mortis potest evitare: Statutum enim est hominibus semel mori, illudq; statutum nullus mortalium, si modo nominis sui erit memor, potest abrogare; hora tamen mortis est incerta, nec ab ullo fato Stoico, sed à Deo, qui vita & mortis potestate habet, determinatur. Sive enim vita hominis modo longiori extendatur cursu, sive autem breviori abrumpatur spatio, id omne divinæ adscribendum ordinatio- ni. Terminus enim vita humanæ, uti ipsius mortis certitudo, non absolutus est, & immutabili necessitate certo temporis momento adstrictus, sed in eo præfigendo & constituendo ratio habetur à Deo, qui in sui nominis gloriam, modo pro obedi- entia aut inobedientia hominū, modò tamen etiā pro salute electorum promovenda, hunc oxyus, illum autem serius, ex hac meseriарum valle avocat. Æsopus, tam festivi ingenii, quam vultus foedi imago, interrogatus aliquando, quid face- ret Deus? sapienter certè respondit: Excessa deprimit, extol- lit autem humilia. Hæc enim fuerunt Dei opera, & manebunt in posterum, usque dum hoc totum constabit, ut deponat & extollat. Uti enim in rebus omnibus humanis, prout justitia & clementia norma id exigit, suo utitur arbitrio, ita eadem ratione circa vitæ & mortis dispensat gressus. Nam sicuti pas- sim reperiuntur longioris ævi præmissiones, ita etiam subinde extant graviores brevioris vitæ comminationes. Nemo igi- tur non fugere debet stoicas, de inevitabili & fatali vita humanæ termino, opiniones, ne Deum in suis vituperet operibus, & blasphemus in Deum reperiatur. Dei enim verbum est, quod falsum dicere nescit: *Viri sanguinum non dimidiabunt dies suos*; item: *Exterminabuntur flagitosi, & passim. Præmissiones, etiam varia passim in sacro codice occurront monita & exempla. Sic Ezechiae Regi, cui agrotanti Esaias mortem instar- nunciat.*

nunciavit, oranti & lacrimanti vita prolongata, & sanitas pri-
stina restituta est *Esa. 38*. Davide devotissime supplicante pestis
& imperfectio, quam ambitiosam lustratione Israelis & Judæ me-
rebatur, cessavit, *2. Sam. 24*. Nini vixit etiam, serio pœnitentiam
agentibus, vita donatur. Et in ipso Decalogo Deus, longæ-
vos super terram fore, promittit, qui Patrem ac matrem ho-
norent. Talem felicitatem prolixioris vita etiam indeptus
est vir *Prænobilis & Consultissimus DN. BERNHARDUS Soltow*
J. U. D. & Sereniss. Dnn. Ducum Holsatiae quondam Consil.
& Capituli Slesvicensis Synd. qui cum annos 75 in hac mortalita-
te absolvisset, placide in hoc obdormivit anno. Nec solum
hic noster pie defunctus hanc gratiam a Deo obtinuit, sed nec
minus suos Parentes ad eandem felicitatis metam devenisse,
non sine maxima vita voluptate, vidit. Pater enim ejus ad
annum 73 superstitit. Mater autem 76. annos implevit. Ulti au-
tem dies annorum nostrorum, *Mose teste*, septuaginta anni
sunt, hos una cum dilectissimis suis parentibus, quibuscum
jam in Dn. quiescit, ex divinâ supergressus est dispensatione, &
ita præ aliis sexcentis laudandus est. *Natus autem est pie defun-*
ctus Doctor Soltovius Slesvici Holstorum 14. Apr. Anno 1592. cir-
ca decimam antemeridianam, parentibus equidem honestissimis &
clarissimis, Patre DN. BERNHARDO Soltow Hamburgo oriundo,
qui cum perso annos Camera Sereniss. Ducis Holstiae Slesv. Secreta-
rius & pariter ejusdem Praefectus fuisset, tandem Senior Capituli Slesvi-
censis factus est. Hec a. officia surama cum felicitate & laude ad annum etati-
s 73. quando placide occubuit, exornavit. Matrem habuit Fæminam
ornatissimam CLARAM Lücken / Chiloniensis Consulis PAULI
Lücken / Viri ceterū Consultissimi, filiam, qua 16 annis viro vidua su-
perstes anno etatis sue 76 fatis concessit, & Slesvici honorifice mariti
sepulchro associata est. Hisce parentibus vitam & honestam educatio-
nē debet, siquidē primos etatis annos, usq; dū ad annum 13 pertingeret,
honestissime in Schola patria, transegit. inde ad desideria patrui sui,
DN. M.

D N. M. HERMANNI Soltow/ Senioris Capituli Razeburgicā
multum Rever. Razeburgum missus, ibique tūm privatim à patruo
suo, tūm in Scholā Dnn. Canonicorum seu Cathedrali eruditus est, postea
Anno 1608. Hamburgi, M. PAULI SPERLINGII Scholæ ibidem
Rectoris fidelissimi cura commissus, ubi per jesqui annum studiis operā
navavit. Anno autem 1610 hanc nostram Academiam, parentum suo-
rum iussu, visitavit, & DN. CHRISTIANI SLEDANI S. Th. D.
& P. P. mensā, nec non sollicita institutione, in Ethices & Politices stu-
dii, usus est. Postea studio legalis scientia sese mancipavit, & per bien-
nium sub auspicio Jcti Excellentissimi DN. THOMÆ LINDE-
MANNI Antecessoris hujus Universitatis celeberrimi, prima legalie
scientiae fundamenta feliciter posuit, illo elapso Argentoratense Atbe-
nacum invisit, in itinere autem celebriora, antequam eō deveniret,
totius Germaniae loca, & inter illa Megapolim, Pomeraniam, Mar-
cam, Misniam, Bohemiam, Franconiam, Sveviam, Alsatiāq; per-
lustravit. Argentoratum ubi appulit DN. HENNINGI OBRECHTI
Questoris Urbici mensā usus est, & contubernalem noctis fuit Virum
doctissimum AEGIDIUM BLOTIUM Philosophum & juris Can-
didatum eximum, quocum Anno 1613. Marpurgum se contulit, eōq;
in itinere Musas Heidelbergum & Giffensium salutavit, nec non
ad Cameram Imperialem, quæ Spiræ est, ut stylum curia addisceret
& ad rerum argumenta leges applicaret, detendit, sed vix quar-
tā anniparte ibi subsistens, auditio suavissimi patris obitu, domum
se recepit, indeq; post 6 septimanias, ne familia paterna erciscunda
certis de causis interesset, buc reversus est, eā mente, ut binciterum
Francofurtum ad Menum, indeq; Argentoratum, ubi magnam sue su-
pellestilis partem reliquerat, repereret; sed morbo præeditus Anno
1614. astido tempore domi, ut & matri vidue solatio esset, sublittit, post-
eaq; ad autumnales Francofortensem nundinas profectus, Argentora-
tum feliciter iterum venit & priori hospitio, in quo unū optimi Vene-
mores erant, gratissimus & acceptissimus fuit, usus est, studiog; Juris
in Collegio Argentoratensi D. JUSTI MEYERI JC. Nobilitati

222

mi, qui inde immortale nominis decus meruit studiis, sedulo vacavit.
Sequenti anno. quatuor Nobilibus Slesvicensib⁹ associatus, primò Friburgensem Brisgoviae, & Basileensem Helvetie Academias, posteaq; ipsas Helvetias invisit, quibus peractis, cum Serenissimi Principes & DNI. DN. FRIDERICUS & DN. ADOLPHUS, Heredes Norvegicæ & Duces Slesvici, Hollatia &c. Argentoratum accessissent, ut exinde ad Gallias se conserrent, clementissime inter comites Serenissimorum Principum receptus est. In Gallia per annum commoratus postea defuncto Seren. Dnn. Principum, Sereniss. Dn. Patre, eodem in comitatu domum rediit, ibiq; ad triennium usq; substituit. Inde autem cum JOACHIMO MANCINO Megap. Noribergam & Augustam Vindelicorum transiens, felicissime in Serenissimum Principem ac DN. DN. ADOLPHUM Ducem Holsatiae &c. & iterum incidit, Italiam in ipsius comitatu perlustravit, & cum illo Anno 1620. iterum domum se recepit, indeq; tertio ad nostram banc Academiam rediit, An. nimirum 1621 Ubi, Deo sic disponente, Viri Amplissimi BALTHASARIS Beselins Senatorii ordinis, unicam filiam AGNETAM matrimonio sibi locavit, postq; biennium, previo Examine & disputatione Inaugurati, aliisq; solennibus Doctoris, summum in Jure titulum a DN. ERNESTO COTHMANNO JC. inter celeberrimos Clarissimo Anno 1623. obtinuit. Eodem tamen anno etiam dulcissima ejus conjux filium enixa est, quem BERNARDUM BALTHASAREM appellavit. Sequenti anno cum pessis hic vehementer grassetur, cum conjugi & familiâ sua in patriam se contulit, ibiq; secundo heredem saemeliam nactus est, quem CLARIÆ nomen de Matre defuncti sortita fuit. Elapso hoc anno, quartò huc se contulit, sed mox sequenti anno filiam charissimam fato amisit. An. autem 1629. filium secundo genitum ex benedictione divina obtinuit, quem de patrui nomine ERICUM dixit. Cum vero interea undiq; bellaretur, mox hic, modo Husæ, ubi defuncta sororis liberorum tutelam suscepit, modo Lubeca, modo vero Hamburgi cum matre & altera sorore qua cum temporis ibidem defuncta, & Husæ sepulta fuit, substituit, & defuncte.

defuncta sororis dilessime, filie unice tutelam etiam suscepit. Anno
autem 1630. Hus à Slesvicum se contulit, ubi sequenti anno iterum fili-
am nactus est, quam Augustam vocavit. Anno 1644. cum uxore &
liberis propter bella Holsatiam infestantia, Hamburgum migravit,
& sequenti buc reverlus est anno, filiamq; suam cœnobio Ribben-
zenzi consecravit, privignaq; sue ibidem subsistentis cura eam
commisit, qua Anno 1646 cum fratre suo Slesvici patrem revisit, sed
paulo post anno etatis 14. defuncta fuit, quacū alterā sorore demortua
maximam filiorum curam habuit, quoru alter ERICUS anno et. 21.
fatis concessit, natu major autem Argentorato, cum ibi Doctoris titulos
adeptus esset, domum reversus, BALTHASARIS GLOXIN Viri
Consultissimi & Seren. Duci Holsatiæ Consiliarii Nobilissimi & Ca-
nonici Lubecensis, filiam natu maximam virginē tunc decoratissimam
MARGARETHAM AGNETAM, connubio duxit. Is autem officio
Advocantis inclarescens à Serenissimo Holsatiæ Principe ad defungendam
spartam aliquam vocatus, morte suā An. 1653. prævenit, & sic nœ-
stissimus hic genitor omnibus liberis suis, in quibus maxima vita spes
locata erat, orbatus fuit, nec longe post, dum una calamitas alteram
quasi ad porrigendas manus provocaret, An: scl. 1658. conjugem suam
dulcissimam etiam amisit. Interim à nuru sua sc̄emina nobilissima ma-
xima filialis amoris argumenta hauxit, quippe que & sumtu funebres
post mortem socero suo ultro obtulit. Ex hoc autē filio una neptis super-
stat cui Deus vitam & felicitatem dare velit. Vitam ejus reliquam
quod attinet, sanā doctrinā omne natura vitū emendarit, & in Aca-
demis dum degeret Collegia Politico-Juridica praesidendo babuit. Cum
vero ex hac nostra Universitate in patriam se recepisset, inib⁹ D: JO-
HANNES Schonbach / Consiliarius Regius & Canonicus Capitu-
pituli Slesvicensis An. 1637. vita defunctus esset, à Potentissimo Da-
norum Rege DN. DN. CHRISTIANO IV. glorioſ. record. Sym-
dicus Capitali & Advocatus Ecclesia patriæ constitutus fuit, cui mu-
neriusque ad annum 1661 fideliter præfuit, & intra officia sui tem-
poris tribus Holsatiæ Principibus, DN. JOHANNI CHRISTIANO
in Sun. d. 16.

in Sünderburg / & DN. PHILIPPO in Glücksburg / & DN.
FRIDERICO in Norburg / successivè, consulendo & legati mu-
nere subeundo, aliiisque consiliarii officiis deserviit. Tandem Anno
1666. die 10. Aug. piè defunctus ultimo buc rediit, & filii defuncti cor-
pori hic sepulto, post fata sua, apponi desideravit, ubi intrea Vir Pl.
Reverendus & Excell. D. JOHANNES QUISTORPIUS SS.
Theol. D. & PP. Collega noster conjunctis. fidelissimam ejus
curam habuit, usque dum die 7. mensis Maij proxime præteriti, inter
preces & suspiria placide in Domino obdormiret.

Quoniam igitur in tam seram ætatem vitæ suæ an-
nos in timore Domini & honestate, morumque incul-
patorum integritate, non tamen sine intermixta gau-
diis tristitia pie defunctus noster traduxit, nostrum
certè erit ultimum honorem tam honesto viro non
denegare, quin potius ipsius corpus exanime, hodie
ad medium horæ primæ in templo Jacobæo terræ
mandandum, honorifico comitatu prosequamur. Vos
igitur, Cives Academici omnium ordinum honoratissi-
mi, amanter rogo, ut ad hujus funeris deductionem
frequentes confluere, & mortalitatis vestræ memori-
am celebrare singuli velitis, feliciter enim, *dicente Gre-*
gorio M. in alterius funere meditando studium col-
locabimus, quod in nostro adornando re-
medium ferat.


P. P. Rostoch. 13. Aug. Anno 1667.







defuncte sororis dilectionis, filie unice tute
 autem 1630. Husa Slesvicum se contulit, ub
 am natus est, quam Augustam vocavit.
 liberis propter bella Holstiam infestantia
 & sequentis hic reverlus est anno, filiam
 zensi consecravit, priuignag, sue iulien
 commisit, que Anno 1646 cum fratre suo
 paulo post anno etatis 14. defuncta fuit, qua
 maximam filiorum curam habuit, quoru
 fatis concessit, natu major autem Argentor
 adeptus esset, domum reversus, BALTHA
 Consultissimi & Seren. Duciis Holstiae Co
 monici Lubecensis, filiam natu maximam vi
 MARGARETHAM AGNETAM, con
 Advocantis inclarescens a Serenissimo Holz
 dam Spartam aliquam vocatus, morte suâ
 stissimus hic genitor omnibus liberis suis,
 locata erat, orbatus fuit, nec longe post, de
 quasi ad porrigenandas manus provocaret,
 dulcissimam etiam amisit. Interim a nuru
 xima filialis amoris argumenta hauxit, qui
 post mortem socero suo ultro obtulit. Ex hoc
 stat cui Deus vitam & felicitatem dare v
 quod attinet, sanâ doctrinâ omne natura
 demius dum dederet Collegia Politico-Juri
 vero ex hac nostra Universitate in patriam
 HANNES Echonbach Consiliarius
 pituli Slesvicensis An. 1637. vita defunctus
 norum Rege DN. DN. CHRISTIANO
 dicus Capitali & Advocatus Ecclesia patria
 veriusque ad annum 1661 fideliter præsu
 pora, tribus Holstiae Principibus, DN. JC



the scale towards document

Patch Reference Chart TE63 Serial No. 032
Image Engineering Scan Reference Chart UTT

suscepit. Anno
 po iterum fili
 um uxore &
 um migravit,
 obio Ribbeni
 cura eam
 m revisit, sed
 ore demortua
 Sanno at. 20.
 octoris titulos
 LOXIN Viri
 lissimi & Ce
 coratissimam
 s autem officio
 ad defungene
 nit, & sic nre
 xima vita pess
 mitas alteram
 conjugem (nam
 obilissima ma
 ntus funebres
 a neptis super
 ejus reliquam
 uit, & in ACA
 do babuit. Cum
 inibid. D. JO
 nonicus Capitu
 entissimo Da
 of. record. Syn
 fuit, cui mu
 officii sui tem
 HISTRIANO
 in Sim. d. a.